



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephina Lvcernensis**

**Reiß, Jacob  
Tschan, Jacob**

**Constantiae, 1658**

32. Pater sacramentalis Iesv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9773**



## ELOGIVM XXXII.

## IOSEPH

Pater Sacramentalis IESV.

**N**E, quæso, detorqueas in me illa Domini ad Iob de Eliu verba Iob 38. v. 2. *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitus?* Quam parum enim diei noctem, tam parum claritati sermonis præfero obscuritatem eius. Is certè conatus meus est; & loqui malo tacendo, quàm loquendo tacere, dum ea loquor, quæ intelligere nemo potest.

Igitur hic per *Patrem Sacramentalem* accipio *Patrinum* cuius munus est supplere defectum Patris, suscipere de Sacramento recens initiatum, imponere illi nomen, ubi id in usu est. Si ergo ostendam tibi, hæc tria integrè à IOSEPHO per id tempus, quò IESVS Sacramento circumcisionis initiatus est, obita esse, næ tu negare non potes, eundem IOSEPHVM Patrinum esse IESV, hoc est, esse Sacramentalem Patrem. At id ipsum docet Cathag. lib. 4. Hom. 11. & Gratian. lib. 2. cap. 2. & verisimile cuius videri potest, propter vrgentes Rationes.

Nam 1. certum est, primum quæstionis huius cardinem esse, quòd circumcisio sit verum Sacramentum, & quidem antiquius Sacramentis veteris Legis, quæ per Mosen promulgata est. At hæc in re Coninck q. 61. a. 3. *conuenit, inquit inter omnes,*

*circum.*



*circumcisionem fuisse verum Sacramentum.* Stat ergo cardo quæstionis pro nostra parte.

Sub hæc autem cardo alter est, quòd IESVS idipsum circumcisionis Sacramentum acceperit. Sed eum loco nostro tam validè defigit Luc. 2. v. 21. vt auelli contra nos à nemine possit. Ait enim: *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, &c.* Verè igitur IESVS Sacramentum circumcisionis accepit. Equidem haud operosè eius causas complures dare possum. Sed absoluit me labore isto Cornel. à Lap. in Luc. cap. 2. quem si adeas non pœnitebit. Mihi autem id vnum abunde sufficit, circumcisum esse IESVM.

Reliquum est, vt cardinibus his, ipsam Resolutionis meæ ianuam affigam, hoc est, vt declararem, tres Patrini partes, omnes, ac singulas, IOSEPHVM suscepisse. Vbi vtique de prima, videor mihi, filere posse. Nam si quis fortè pupillus est, nonne curam ac paternitatem eius is suscipit in se, qui proximus est, siue matri pupilli, siue ipsi pupillo? At nemo IESV, Matrîque IESV propior est IOSEPHO. Dic deinde, si quis præuentus necessitate graui Sacramentum Patrinum requirens accipere debeat, annon is simul & Ministri & Patrini munus obire tenetur, qui necessitati tali vltro occurrat? At præter IOSEPHVM, intra primum nati IESV octiduum, ne quidem cogitari potest, occurrisse alios, cum eundem etiam vrbe ac hospitio cum MARIA, ipsòque IOSEPHO excluderint.



Hæc autem qui concedit mihi, profectò negare non potest istud alterum, videlicet suscepisse IOSEPH IESVM vulnere, ac sanguine, cruentatum. Si enim suscepit illum de Virgineò exilientem vterò, vbi nullum vulneris sanguinisve vestigium erat, quomodo in dolore tanto, tantòque periculo, sine graui crimine, destituere potuit, quem alius nemo, ne quidem communi lecto voluit suscipere?

Sed ad tertiam partem transeamus. Eam Matth. 1. v. 21. recenset, dum Angelum inducit IOSEPHO apparentem, cum dictò: *Pariet autem Filium*, sibi nempe & tibi, & *vocabis nomen eius IESVM*. Debet ergo IOSEPH primò Pater esse; tum verò talis Pater, qui ius habet imponendi natiuum nomen. Quid autem hîc, obsecro, clarius dici potest? Annon autem re ipsa imposuit nomen IESV, quod *vocatum est ab Angelo priusquam in vtero contiperetur*? Nefas est, opinari aliud de Viro MARIÆ, Patre & Patrino IESV. Sed si nobis diuinare licet, credimus IOSEPHVM, dum dixit; IESVS est nomen eius, simul huius vocis anagramma apprehendisse; *Tu es Ovis*; hoc est  $\sigma\upsilon\delta\ \eta\ \omicron\iota\gamma$ . Neque enim in hoc minor fuit præcursore Ioanne hic diuturnus præcursor IESV; ex quibus illeritidem dixit Ioannis 1. v. 26. & 29.

*Ecce Agnus Dei.*

ELO.